

BX1936

F4

V-2



FONDO BIBLIOTECA PUBLICA
DEL ESTADO DE NUEVO LEON

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

BIBLIOTHECA

F. LUCII FERRARIS.

C

CADAVER.

SUMMARIUM.

1. Cadavera nequeunt sepeliri aut reponi sub Altaribus, neque sub gradibus eorum, aut pradellis. — 2. Et si contra hujusmodi prohibitionem sepulturae ibi reperiantur constructae, non debet in illo celebrari donec Cadavera alio transferantur. — 3. Cadaverum capsae, depositae, seu conditoriae in Ecclesiis super terram existentia debent omnino amoveri, et Cadavera defunctorum in tumbis profundis infra terram collocari. — 4. Non comprehenduntur tamen sub hac prohibitionem monumenta marmorea muris, seu columnis adherentia, praesertim amotis Cadaveribus a locis altis. — 5. Cadavera pauperum Fidelium gratis omnino tumulari et sepulturae tradi debent. — 6. Nec ad extorquendam, aut emendicandam a vicinis, vel affinis elemosynam publice possunt exponi. — 7. Nec prohiberi potest, ne Cadaver sepeliatur, occasione Juris sepulturae. — 8. Cadavera decedentium in Parochia, ad cujus Ecclesiam Capitulum Cathedralis Ecclesiae translatum est, non possunt levari per ipsum Capitulum, seu Canonicos, nisi requisito Parocho dictae Ecclesiae. — 9. Cadavera defunctorum levare de domo propria nullo modo licet Regularibus, et Presbyteris saecularibus, nisi de licentia et consensu proprii Parochi. — 10. Vocato tamen Parocho, et ipso renuente intervenire, vel alterum mittere, tunc possunt Regulares absque Parocho deferre Cadavera in eorum Ecclesiis sepelienda. — 11. Cadaver illius, qui elegit sepulturam apud Regulares, est restituendum eis simul cum oblationibus, si fuerit sepultum in Cathedrali. — 12. Cadavera defunctorum deferri possunt ad Ecclesiam pro beneplacito suorum, non tamen sepeliri, nisi post competens temporis spatium. — 13. Cadavera nequeunt deferri ad sepulturam curru clausa. — 14. Cadavera alicubi deposita ad tempus, transferri possunt ad proprium sepulcrum absque ulla licentia; secus si tradita fuerint perpetuae sepulturae. — 15. Pro transportatione Cadaveris de uno ad alium locum, non solvitur gabella, sive vectigal. — 16. Cadavera exhumari non debent pro capienda informa-

tionem absque licentia. — 17. Unde Episcopus non potest concedere licentiam Curiae Laicali, ut exhumantur Cadavera ad faciendam recognitionem in ipsa Ecclesia, sed extra, et arbitrio ipsius Episcopi. — 18. Quinimo nequidem potest Episcopus concedere Curiae Laicali licentiam, ut exhumantur Cadavera ad faciendam recognitionem in loco immuni, licet extra Ecclesiam. — 19. Si Cadaver occisi a saeculari fuerit Personae Ecclesiasticae; vel tale Cadaver nondum est translatum ad Ecclesiam, seu locum immunem, et tunc poterit a Iudice laico, qui praevent, fieri recognitio corporis delicti; vel Cadaver Clerici occisi est jam ad locum immunem, seu ad Ecclesiam translatum, ac sepulturae traditum, et tunc hujusmodi recognitio fieri ab eo non poterit absque legitima facultate a Sacra Congregatione Immunitatis concedenda. — 20. Solet tamen dari facultas Episcopo concedendi licentiam absque violatione Immunitatis Ecclesiae transportandi Cadavera, et vulneratos a loco immuni pro recognitione corporis delicti pro octo casibus, praemissa ab Ordinario solita protestatione juxta cap. *Praelatis* 2, de Homicid. in 6. Et traditur hic consueta formula. — 21. Solut Episcopus, sive ejus Vicarius Generalis concedit licentiam exhumandi Cadavera Laicorum pro recognitione faciendam extra Ecclesiam, et locum immunem; etiamsi ipsa Cadavera fuerint sepulta in Ecclesiis Regularium. — 22. Imo etiamsi vulneratus, aut offensus esset Regularis, qui existeret in Monasterio, tunc recognitio fieri poterit a Curia Episcopali. — 23. Cadavera defunctorum cum ululatus ad Ecclesiam associare non est permittendum. — 24. Quare merito hujusmodi ululatus, neniae, et cantilenae in variarum Dioecesium Synodalibus Constitutionibus expresse prohibentur. — 25. Juxta dispositionem cap. *A nobis* 2, de Sentent. excommunic. ex cap. final. de Sepult. procedendum est ad exhumationem Cadaveris Excommunicati. — 26. Cadaver tamen Excommunicati, qui non tantum dedit signa poenitentiae, sed etiam decessit munitus Sacramentis, Episcopus tradat Ecclesiasticae sepulturae ad formam

cap. A nobis 2, de Sentent. excommunicat. — 27. Comminanda est exhumatio Cadaverum Excommunicatorum, nisi eorum hæredes satisfaciunt Ecclesiæ violatæ. — 28. Saepè injungitur Episcopo, ut faciat exhumari Cadaver Excommunicati, et præstito per hæredes juramento de stando mandatis Ecclesiæ, cum dederit signa pœnitentiæ ante obitum, absolvat ad tenorem cap. A nobis 2, de Sentent. excommunicat. — 29. Injungitur Vicario, ut prævia absolute ad formam cap. A nobis 2, de Sentent. excommunicat. et cap. final. de Sepult. tradat Ecclesiasticæ sepulturæ Cadaver occisoris Clerici, qui duobus diebus ante ejus obitum petiit confiteri et absolvi a simplici Confessario, existimans se esse in periculo vitæ, ut eventus demonstravit, nam post duos dies a suis inimicis occisus fuit in loco immuni. — 30, 31. De tempore delationis, et humationis Cadaverum. — 32. — Quousque duret Parochi Jurisdiclio super Cadaver, et quando ad Regulares transeat. — 33. Cadavera recto tramite ad Ecclesiam deferri debent. — 34. An Cadavera exponenda sint in Ecclesia Parochiali, antequam in Regularium Ecclesia sepeliantur. — 35. An Regulares debeant congregari et convenire ad Ecclesiam, ubi est Cadaver, ut ad suam deportent Ecclesiam. — 36. Quid debeatur Ecclesiæ Parochiali, si Cadaver humatur in Regularium Ecclesia. — 37. Sub qua Cruce tenetur incidere Archipresbyter associando Cadavera sepelienda in Ecclesia Regularium. — 38. An cogi possint Regulares ad associanda Cadavera in eorum Ecclesiis tumulanda. — 39. An Episcopus valeat prohibere, ne hebdomadarius cotta, stolaque utatur in funeribus Cadaverum, quæ deferuntur sepelienda ad Ecclesias Regularium. — 40. Hebdomadarius Regularium vero extra suam Ecclesiam officium Parochi exercere non valet. — 41. Parochus tenetur funerale ducere usque ad januas Ecclesiæ Regularium. — 42. Quando Parocho vel Regularibus preces super Cadaver fundere liceat. — 43. Ubi Parochus relinquere debeat Cadaver sepeliendum in Ecclesia Regularium. — 44. An Parochus teneatur associare Cadavera ad Ecclesias Regularium etiam ipsi Regularibus non associantibus. — 45. An ad Parochum spectat officium funebre super Cadavera sepelienda in Ecclesiis et Oratoriis publicis Confraternitatum. — 46. An Capellanus Confraternitatis salutis possit sepelire in propria Ecclesia Cadavera Confratrum, et absente Parocho officium, aliasque functiones super iisdem explere. — 47. Consuetudo benedicendi Cadavera ad Ecclesiæ portam servanda est. — 48. Domi possunt hæredes officium recitare facere cuicumque libuerit. — 49. An hæredes possint ad libitum Cadaver domi retinere, vel ad quamcunque Ecclesiam asportare. — 50. An possint Cadavera privatim sepeliri, sine lumine, Cruce et Parocho. — 51. Restituendum est Cadaver Ecclesiæ, in qua defunctus sepulturam elegit. — 52. Cadaver alicubi positum perpetuæ sepulturæ exhumari non potest sine licentia Episcopi. — 53. Exhumari nequeunt Cadavera sine licentia S. Congr. pro recognitione faciendâ a Curia sæculari. — 54. Defunctorum Cadavera non possunt vulgo arrestari ob debita civilia. — 55. Parochi pauperum Cadavera gratis sepelire tenentur. — 56. Graviter peccat, si

(1. Cadavera nequeunt sepeliri aut reponi sub Altaribus, neque sub gradibus eorum, aut pradellis; Sac. Congreg. Episc. et Regul. in Interamnensi 14 Septemb. 1593, in una Termular. 8 Februar. 1594, et in Messanensi 2 Maii 1601. (2. Et si contra hujusmodi prohibitionem sepulturæ ibi reperiantur constructæ, non debent Missæ in illo Altari celebrari, donec Cadavera alio transferantur, ut declaravit eadem Sac. Congregat. in una Tranensi 10 Novembris 1599.

quis in sectione adhibeat Cadavera non condemnatorum sine facultate Episcopi anatomie adducendæ causa. — 57. Si in asportatione Cadaveris cum processione et Cruce contingeret transitus fieri per agrum vel possessionem privatam, via illa non sit publica. — 58. Parochus non potest exigere, ut Cadavera sepelienda in Ecclesia Regularium prius in Parochiali exponantur. — 59. Absque presentia et facultate Parochi loci non possunt Cadavera levare e domo. — 60. Sub qua Cruce debeat incidere processio funebris, cum Ecclesia tumulans distinguitur a Parochiali. — 61. Quem locum debeant tenere societates funus comitantes. — 62. An Laici Regulares debeant comparere in processione funebri. — 63. Regulares cogi non possunt, ut associant pompam funebrem, cum Cadaver in eorum Ecclesia sepelitur. — 64. Ubi sepeliendum, qui ruri decedit, non electa sepultura. — 65. Cum e rure transferendum est Cadaver in civitatem, deferendum est in catalecto precedente Cruce, et associantibus geminis Sacerdotibus. — 66. In extractione, vel intratione Cadaveris in portas urbium, gabella minime solvenda est. — 67. Pro transitu processionis funebris ex una in aliam parochiam nulla petenda est licentia a Parocho loci. — 68, 69. An liceat aliquid exigere pro sepultura et exsequiis Cadaveris. — 70-74. Regulæ pro exhumatione Cadaverum. — 75. Quis Judex. ecclesiasticus, an sæcularis, an uterque simul debeant cognoscere de Cadavere Clerici, qui mortem sibi conscivit. *Remissive.* — 76. Solis Patronis aut fundatoribus competit eligere locum in Ecclesia, quo Cadavera sepeliantur. — 77. Ecclesia Parochialis, ejusque cœmeterium est proprius locus sepulturæ Parochianorum. — 78. Jus sepeliendi Cadavera juribus Parochialibus annueratur. — 79. Quinam Parochiani dicantur quantum ad sepulturam. — 80. Si defunctus habeat sepulcrum *Majorum*, ibi sepeliendus est. — 81. Huic autem, uti etiam sepulturæ Parochiali præfertur sepultura a defuncto electa. — 82. Quod intelligendum est, si talis electio facta fuerit in loco religioso. — 83. Oblationes, quæ fieri solent in Cadaverum funeratione, licitum est recipere Parochis, aliisque, quibus competunt. — 84. Ob non solutionem Jurium funeralium sepultura Cadaverum non est differenda. — 85. Jus inhumationis a jure celebrandi exsequias distinctum est, et utrumque illud jus ad Ecclesiam Parochialem spectat. — 86. Unde Parocho de jure competit, ut Cadaver presentetur suæ Ecclesiæ. — 87. Quæstio incidit, quod genus exsequiarum in Ecclesia Parochiali sit persolvendum Cadaveribus, quando in alia Ecclesia electa fuit sepultura. — 88, 89. Ecclesia Parochialis non excluditur ab illis oblationibus, quæ sepeliendis Cadaveribus in altera Ecclesia impenduntur. — 90. Circa defunctorum corpora quid antiquitas a Christianis servatum. — 91. An liceat personarum Ecclesiasticarum Cadavera sacris induere Vestibus. — 92. Afferuntur rationes. — 93. De Archiepiscopo defuncto quoad Pallium. — 94. Episcopi Cadaver qualiter induendum. — 95. An liceat Calicem manibus Presbyteri defuncti apponere, et Missale super ejusdem feretrum.

(3. Cadaverum capsæ, deposita, seu conditoria in Ecclesiis super terram existentia debent omnino amoveri, et Cadavera defunctorum in tumbis profundis infra terram collocari; S. Pius V, in Constitut. 5, incip. *Cum primum*. (4. Non comprehenduntur tamen sub hac prohibitionem monumenta marmorea muris seu columnis adhærentia, præsertim amotis Cadaveribus a locis altis, quia hæc nullam indecentiam, imo magnum ornamentum afferunt; Sac. Congreg.

Episcop. et Regul. in una Mantuana 16 Octobris 1579.

(5. Cadavera pauperum Fidelium gratis omnino tumulari et sepulturæ tradi debent; Sac. Congreg. Episcop. et Regul. in una Casanen. 5 Maii 1617. Clemens IX, Constitut. 38, incipiente *In Excelsa*. (6. Nec ad extorquendam, seu emendicandam a vicinis vel affinibus elemosynam publice possunt exponi; Clemens IX, *ibidem*. (7. Nec prohiberi potest ne Cadaver sepeliatur, occasione Juris sepulturæ, cum nulla ratio patiatur, Christianæque pietati repugnans videatur, maxime vero ob pecuniarum interesse Cadaver insepultum remanere; Sac. Congreg. Episcop. et Regul. in una Crotonien. 17 Septembris 1617.

(8. Cadavera decedentium in Parochia, ad cujus Ecclesiam Capitulum Cathedralis Ecclesiæ translatum est, non possunt levare per ipsum Capitulum, seu Canonicos, nisi requisiti Parocho dictæ Ecclesiæ; Sac. Congregat. Rit. in Thelesina 18 Augusti 1629. (9. Cadavera Defunctorum levare de domo propria nullo modo licet Regularibus et Presbyteris sæcularibus, nisi de licentia et consensu proprii Parochi; Sac. Congreg. Rit. in Adrianen. 22 Novemb. 1631, in respons. ad 1. (10. Vocato tamen Parocho, et ipso renuente intervenire, vel alterum mittere, tunc possunt Regulares absque Parocho deferre Cadavera in eorum Ecclesiis sepelienda; Sac. Congreg. Rit. in Senogallien. 22 Junii 1675, in responsione ad Sextum his verbis: *Ad Sextum Sac. Congreg. respondit: Vocato Parocho, et ipso renuente intervenire vel alterum mittere, tunc Regularibus licere absque Parocho deferre Cadavera in eorum Ecclesiis sepelienda*. Et sic in terminis fuit iterum decisum ab eodem Sac. Congreg. ad instantiam Ordinis minor. de Observantia S. P. Francisci die 13 Julii 1675. Et sic jam fuerat decisum a Sac. Congreg. Episc. et Regul. 14 Januar. 1739, quod decretum fuit confirmatum ab Alexandro VII, 30 Aprilis 1660. in Constitut. incip. *Alia pro parte*.

(11. Cadaver illius, qui elegit sepulturam apud Regulares, est restituendum eis simul cum oblationibus, si fuerit sepultum in Cathedrali; Sac. Congreg. Rit. in Bituntina 21 Julii 1607; Sac. Congreg. Episcop. et Regul. 12 Martii 1660, in una Calaritana, contra Capitulum illius Metropolitanæ, cui mandavit restitui Minoribus de Observantia Cadaver in sua Metropolitana sepultum, ibi: *Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium præposita, attentis narratis reque, partibus tam verbo, quam scripto informantibus auditis, Eminentissimo Santacrucio referente, diligenter ac mature examinata et discussa, censuit Cadaver, de quo agitur, restituendum esse, prout una cum funerali pompa restitui mandat et præcipit S. Mariæ Jesu Fratrum Minorum Observantiæ S. Francisci*. Quod decretum fuit ad litteram confirmatum ab Alexandro VII, die 30 Apr. 1660, in Constitut. incip. *Alia pro parte*; et sic Sac. Congregat. Concil. 27 Julii 1680,

in una Alexandrina restitutionis Cadaveris decrevit, esse restituendum Cadaver sepultum in Ecclesia Cathedrali a Capitulo Fratribus Discalceatis Carmelitis, una cum oblationibus, stante electione facta sepulturæ. Apud Petram tom. II Comment. ad Constit. 3, Cœlestini III, sect. 1, n. 19; et idem statuit Sac. Congr. Conc. in Sorana, 24 Apr. 1723, apud Ursajam tom. VI, p. 2, disceptat. 24, sub n. 69, 70, 71.

(12. Cadavera Defunctorum deferri possunt ad Ecclesiam pro beneplacito suorum, non tamen sepeliri, nisi post competens temporis spatium; Sac. Congr. Episcop. et Regul. in una Altifan., 20 Febr. 1601. (13. Cadavera nequeunt deferri ad sepulturam curru clausa; Sac. Congreg. Episcop. et Regul. in una Mutinensi, 13 Julii 1646, et 26 Febr. 1649, et 17 Martii 1650, et 15 Februarii 1658, et alibi. (14. Cadavera alicubi deposita ad tempus transferri possunt ad proprium sepulcrum absque alia licentia, secus si tradita fuerint perpetuæ sepulturæ; Sac. Congreg. Episcop. et Regul. in una Lingon., 16 Octob. 1602, et in Rit. Rom.

(15. Pro transportatione Cadaveris de uno ad alium locum non solvitur gabella, sive vectigal. Sacra Congr. Immunitatis in una Firmana, 10 Junii 1653.

(16. Cadavera exhumari non debent pro capiendâ informatione absque licentia; Sac. Congregat. Immunit. in Aesina, 17 Decemb. 1602; et in Sutrina, 1 Junii 1604. (17. Unde Episcopus non potest concedere licentiam Curia Laicali, ut exhumantur Cadavera ad faciendam recognitionem in ipsa Ecclesia, sed extra et arbitrio ipsius Episcopi; Sac. Congreg. Immunit. in Nullius, 2 Maii 1639, quam decisionem refert, et ad suam petitionem sic responsum fuisse dicit Sperell. in Decisionibus Fori Ecclesiastici, decis. 51, num. 18.

(18. Quinimo nequidem potest Episcopus concedere Curia Laicali licentiam, ut exhumantur Cadavera ad faciendam recognitionem in loco immuni, licet extra Ecclesiam; Sac. Congreg. Immunit. in Macerat., 8 Aug. 1645, ubi proposito, jussu Sanctissimi, iterum dubio, videlicet: « An episcopi possint et debeant concedere Judicibus Laicis ad effectum recognitionis et probationis corporis delicti facultatem exhumandi Cadavera, examinandi vulneratos, testes et similes in Ecclesiis, et aliis locis immunibus Ordinum Regularium, die 8 Augusti 1645, etc., prævia matura discussione, et de communi PP. consensu censuit, standum esse in decisio sub die 22 Maii 1629, scilicet Episcopum posse corpora exhumanda, vulneratos, et testes extrahere facere extra Ecclesias, et loca immunia ad effectum recognitionis et probationis corporis delicti per Judices, et Ministros Laicos faciendæ pro eorumdem Episcoporum arbitrio recte tamen regulato. Non autem posse facultatem concedere eisdem Judicibus et Ministris Laicis in Ecclesiis et aliis locis immunibus ad actum aliquem recognitionis Cadaverum, seu examinis vulneratorum et testium, nisi in casu ur-

gentis necessitatis, et quando Summus Pontifex commode adiri non potest; idque pro eorumdem Episcoporum arbitrio recte tamen regulato. Superioribus vero Regularibus minime licere etiam in Ecclesiis et locis immunibus ipsorum Regularium, sed id ad solos Episcopos spectare; l. i. Decr. Pauluc., fol. 259, et sic declaravit ead. Sac. Congreg. Immunit. in una Anagnina, 21 Januar. 1659, in qua dicitur: « Moneatur Episcopus ipsum non potuisse dare licentiam faciendi recognitionem, et examinandi testes in loco immuni, » lib. Decret. Rocci, fol. 146. Et sic etiam ead. Sac. Congreg. in una Spoletana, 11 Maii 1683: « Ubi Vicarius Capitularis monetur, quia dederit Curiae Laicæ licentiam exhumandi Cadavera a loco immuni pro facienda recognitione; » lib. iii Decret. Altovit., fol. 176; et sic etiam declaravit eadem Sac. Congreg. in una Oritana, 30 Septembr. 1704, lib. iii Decr. Vallem., fol. 618. Et Cancellarius S. Officii censuratus ob recognitionem Cadaveris factam in loco immuni, cassata dicta recognitione, absolvitur; Sac. Congr. Immunit., 7 Maii 1678, lib. ii Altovit., pag. 1577.

(19. Si Cadaver occisi a sæculari fuerit Personæ Ecclesiasticæ, Sac. Congreg. utitur hac distinctione: vel tale Cadaver nondum est translatum ad Ecclesiam, seu locum immunem, et tunc poterit a Iudice Laico, qui prævenit, fieri recognitio corporis delicti; vel Cadaver Clerici occisi est jam ad locum immunem, seu ad Ecclesiam translatum, ac sepulturæ traditum, et tunc hujusmodi recognitio fieri ab eo non poterit absque legitima facultate a Sacra Congreg. Immunitatis concedenda. Sic in una Civitatis Castellæ, ac in aliis sæpe 19 Julii 1667, uti refert Pignatell. tom. IV, consult. 122, num. 4. (20. Ubi etiam dicit quod solet dari facultas Episcopo concedendi licentiam absque violatione Immunitatis Ecclesiæ transportandi Cadavera, et vulneratos a loco immuni pro recognitione corporis delicti pro octo casibus, præmissa ab Ordinario solita protestatione juxta cap. *Prelatis* 2, de Homic. in 6. Qua in re exstat formula in Secretaria Sacræ Congregationis Immunitatis tenoris sequentis: « La Santità di Nostro Signore concede a V. S. col mezzo di questa la facultà di dar la licenza per otto casi, conforme alla sua prudenza che i feriti o i Cadaveri esistenti in luoghi immuni, con l'assistenza di persona Ecclesiastica deputarsi da Lei, si trasportino in luogo vicino ed opportuno, con la dovuta sicurezza, ad effetto che la Corte Secolare possa provare il corpo del delitto col far le recognizioni de'morti o de' feriti, e senza violazione dell' Immunità Ecclesiastica, acciocchè i delitti non rimangano impuniti, mentre facendosi da Lei la solita protesta secondo la disposizione del cap. *Prelatis* de Homic. in 6, la Santità Sua la preserva dalle Irregularità, che perciò Ella e i suoi Delegati Ecclesiastici potessero incorrere. »

(21. Solus Episcopus, sive ejus Vicarius Generalis concedit licentiam exhumandi Cadavera Laicorum pro recognitione facienda extra Ecclesiam, et locum immunem, etiam si

ipsa Cadavera fuerint sepulta in Ecclesiis Regularium; Sac. Congreg. Immunit. in cit. Macerat. 8 Augusti 1645, ibi: « Superioribus vero Regularibus minime licet etiam in Ecclesiis et locis immunibus ipsorum Regularium, sed id ad Episcopos solos spectat; » lib. iii Decr. Pauluc., pag. 259. Vide supra num. 18. Sic etiam decrevit Sac. Congregat. in Fanen., 20 April. 1649, l. iv. Decr. Paul., pag. 76; et in una Marsorum, 13 Julii 1693, lib. i Decr. Vallem., pag. 54, et in una Arminen., 7 Julii 1704; lib. i Decr. Altov., p. 570. Et sic etiam jam decreverat Sacra Congregat. Episcop. et Regul. 11 Sept. 1643, ordinando Episcopo Placentino, ut quosdam reprehenderet Regulares, qui permiserant exhumari Cadaver Defuncti cujusdam, ut a Curia Sæculari recognosceretur absque Domini Episcopi consensu. (22. Imo etiam si vulneratus aut offensus esset Regularis, qui existeret in Monasterio, tunc recognitio fieri poterit a Curia Episcopali, prout fieri jussit Sac. Congreg. Immunit., in una Burgi S. Sepulcri, 13 Novemb. 1619, lib. ii Decr. Paul., fol. 12.

(23. Cadavera Defunctorum cum ululatus ad Ecclesiam associare non est permittendum. Nos enim Christianifideles, qui per Evangelium Christo post mortem vivimus expectantes resurrectionem, potius in obitu debemus lætari, quam mœrore affici, cum ad hac lacrymarum valle ad beatam patriam cum Christo regnaturi transeamus. Unde eliminandi sunt certi constrepentes ululatus, et certæ neniæ, et cantilenæ pluribus in locis maxime a mulieribus practicari solitæ, cum sic non debeant Christiani contristari, ut Judæi et Gentiles, aliique extra fidem Catholicam existentes, qui infelices post hanc laboriosam vitam sine ulla spe melioris vitæ ad æternas miserias perducuntur, juxta illud Apostoli, I ad Thessalonicenses c. iv, n. 12, ibi: *Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut et ceteri qui spem non habent.* (24. Quare merito hujusmodi ululatus, neniæ, et cantilenæ in variarum Diocesium Synodalibus expresse prohibentur, ut inter alias in Diocesi Alexandrina Synod. II, celebrat. 1605, decr. 33; Synod. IV celebrat. 1613; et in Diocesi Bovensi, ubi cum Episcopus in Constitutionibus Synodalibus decretum edidisset, quod Consanguinei Defunctorum non comitarentur funus cum ululatu, reclamante Universitate dictæ Civitatis, ut moderaretur pœna arbitraria ibi imposita ad Censuram tantum, non autem, ut possit statui pecuniaria Laicis non infligenda ab Ecclesia, proposita fuere dubia in Sac. Congreg. Concil. « Secundo: An pœna non tantum Excommunicationis, sed etiam pecuniaria potuerit per Episcopum apponi Laicis transgressoribus? Tertio: An pœna arbitraria imposita comitantibus funera cum ululatu, possit extendi ad pecuniam? » Sac. Congregat. die 28 Januarii 1690, respondit: « Ad secundum affirmative, dummodo Excommunicatio sit in subsidium. Ad tertium negative, sed Episcopus

suaviter curet tolli abusus. » Ubi vides Sacram Congregationem decrevisse esse tollendum similem abusum, licet non pœna pecuniaria redolente potius avaritiam.

(25. Juxta dispositionem cap. *A nobis* 2, de Sentent. Excommunicat. et cap. final. de Sepult. procedendum est ad exhumationem Cadaveris excommunicati; Sac. Congr. Immunit. in Tropien., 4 Julii 1645, lib. iii Decr. Pauluc., pag. 216. (26. Cadaver tamen Excommunicati, qui non tantum dedit signa pœnitentiæ, sed etiam decessit munitus Sacramentis, Episcopus tradat Ecclesiasticæ sepulturæ ad formam cap. *A nobis* 2, de Sentent. Excommunicat. (27. Comminanda est exhumatio Cadaverum Excommunicatorum, nisi eorum hæredes satisfaciant Ecclesiæ violatæ; Sac. Congregat. Immunit., in Calvensi, 26 Martii 1658, lib. Decret. Rocci, pag. 76. (28. Sæpe injungitur Episcopo, ut faciat exhumari Cadaver Excommunicati, et præstito per hæredes juramento de stando mandatis Ecclesiæ, cum dederit signa pœnitentiæ ante obitum, absolvat ad tenorem cap. *A nobis*, de Sentent. Excommunicat., et deinde tradat Ecclesiasticæ sepulturæ; Sac. Congreg. Immunit. in Januen., 14 Septembr. 1626, lib. i Decret. Pauluc., pag. 15; Aceranen., 23 Septembr. 1653; lib. v Decret. Pauluc., pag. 21; Cesenaten. 26 Martii 1658, lib. Decret. Rocci, pag. 77; Sanctæ Severinæ, 29 Decembr. 1666; lib. i Decret. Altovit., pag. 76; Bituntina 2 Januar. 1672, d. lib., pag. 368. (29. Injungitur Vicario, ut prævia absolute ad formam cap. *A nobis*, de Sentent. Excommunicat. et cap. fin. de Sepultura tradat Ecclesiasticæ sepulturæ Cadaver occisoris Clerici, qui duobus diebus ante ejus obitum petit confiteri et absolvi a simplici Confessario, existimans se esse in periculo vitæ, ut eventus demonstravit, nam post duos dies a suis inimicis occisus fuit in loco immuni; Sac. Congreg. Immunit. in Aquilana, 27 Julii 1706, lib. Marefusi.

ADDITIONES AUCTORIS.

(30. Cadavera in quacunque hora diei deferri possunt ad Ecclesiam, de nocte vero non nisi de licentia Ordinarii; Sac. Cong. Conc., 15 Martii 1704, et Clemens XI, 9 Decemb. 1704.

(31. Quoad tempus humationis Cadaverum servandam esse Synodum, censuit Sac. Rit. Cong., 22 Junii 1675, et iterum 13 Julii ejusdem anni.

(32. Parochi jurisdictio super Cadaver durat, quousque transeat in aliorum jurisdictionem; non transit autem Cadaver in jurisdictionem Regularium, nisi quando pervenit ad fores eorum Ecclesiæ; Sac. Congregat. Concil., 28 Februar. et 26 Martii 1711, et Sac. Rit. Congreg. 2 Septemb. 1741.

(33. Cadavera recto tramite ad Ecclesiam deferri debent. Sac. Cong. Episcop. et Regul., 11 Decemb. 1615 et 14 Januar. 1639.

(34. An Cadavera defunctorum sepelienda in Ecclesia Regularium, antequam ad eorum Ecclesiam deferantur, debeant prius aspor-

tari ad Parochialem, et eorum ibidem debeat fieri expositio usque ad horam sepulturæ? Resp. *negative* Sac. Cong. Conc., 14 Mart. 1722. 16 Mart. 1726 et 6 Febr. 1734.

(35. An illatis Cadaveribus private ab hæredibus ad aliquam tertiam Ecclesiam per modum depositi Regulares con enire, et congregari debeant in dicta tertia Ecclesia, aut in Parochiali ad effectum illa associandi ad Ecclesiam, ubi sunt tumulanda? Sac. Rituum Congreg. inhærendo alias decretis respondit: Regulares debere congregari in illa Ecclesia tertia, ubi Cadaver fuit depositum, ut supra; die 22 Jun. 1675, in una Ord. S. Augustini, et iterum 13 Julii 1675, in una Ord. Minor. Observ.

(36. Defunctorum corpora si deponantur in Parochiali, ut inde transferantur ad Ecclesiam Regularium, in qua elegerunt sepulturam, nihil debetur Ecclesiæ Parochiali, exceptis juribus Parochialibus; Sacra Rit. Cong., 23 Martii 1619, in Placentina.

(37. An Archipresbyter associando Cadavera sepelienda in Ecclesia Regularium, teneatur incedere sub illorum Cruce, seu potius valeat propriam Crucem elevare? *Affirmative* quoad primam, et *negative* quoad secundam partem respondit Sac. Cong. Conc., 16 Martii 1726 et 29 Januar. 1735.

(38. An Regulares possint cogi ad associandam Cadavera in eorum Ecclesiis tumulanda, an vero possint expectare in propriis eorum Ecclesiis; Sacra Rituum Congreg. respondit: Regulares non posse cogi ad exeundum a propriis Ecclesiis, ad effectum associandi Cadavera in iisdem sepelienda, sed sufficere, quod illa *expectent ad januas*; die 21 Junii et 13 Julii 1675.

(39. Episcopus prohibere non potest, ne hebdomadarius cotta, stolaque utatur, cum funeribus Cadaverum interest, quæ deferuntur sepelienda ad Ecclesiam Regularium; Sac. Congr. Episc. et Reg., 13 Junii 1594.

(40. Hebdomadarius Regularium, ad quorum Ecclesiam Cadaver sepeliendum deferretur, etsi in cotta et stola funeri intersit, nec domi, nec in via officium facere potest ut Parochus; Sac. Congr. Episc. et Regular., 28 Oct. 1584.

(41. Dum Defunctorum Cadavera in Ecclesiis Regularium sepeliuntur, tenetur Parochus funerale ducere, et comitari usque ad eandem Ecclesiam Regularium; Sac. Cong. Conc., 18 Junii 1581.

(42. Sicut non licet Parocho, deposito feretro ante limina Ecclesiæ Regularium, consuetas recitare preces supra Cadaver, ita non poterunt Regulares (etiam rogati a parentibus defuncti, vel a quolibet alio) antequam vere et realiter sit Cadaver intra limites propriæ jurisdictionis, super illud absolvere, deposito feretro in vico; qui actus ad summum unice spectaret ad Parochum; Sac. Rit. Congr., 2 Sept. 1741.

(43. Parochis in associatione, sive occasione associationis Cadaverum non licet ingredi Ecclesiam Regularium, sed tenentur dimittere eadem Cadavera ad januam Ecclesiarum, ibique solum possunt benedicere,